TENTAMEN

DE ORDINANDÂ LÆSIONUM

A SISTEMATE PORTARUM, ET HEPATIS MORBORUM HISTORIÂ,

Edidit P. B. SIRIS, D. M. *in Societ. Med. Par. Coaptatus.*

Multò dignos encomio arbitror, qui in reperiundis novis insudant, sed nec inutiliter eorum locari operam, qui illorum quæ prisca ætas tulit, notiones examinant, contrahunt, dilatant rectificant etc. etc.

Epigr. Stoll. Rat. Med. Pars.

Brugis, è Typographiâ F. VAN EECK ET FILII.

EGREGIO. V.

J. G. LACUÉE,

SECTIONIS BELLICÆ PRÆSIDI
STATUS CONSILIARIO.

ITEM QUE DOM.

HEURTELOUP.

NOSOCOMIORUM MILITARIUM
INSPECTORI SUPREMO.

Uti tenuia pignora, ac significatio grati, ac devoti animi,

à P. B. SIRIS.

MONITA.

QUæ hactenùs exposita sunt de Morbis, a sistemate portarum, et ab hepate oriundis, adeo sparsa, tantam etiam incohærentiam, aut ordinis defectum exhibent, ut primo aspectu, vix in animo informentur affectus sistematis hujusce. Re ipsà, bianchi, qui de morbis jecoris, (in historiâ hepaticà) magnâ perscrutatione disseruit, tantà per eandem prolixitate, ac confusione attamen usus, ut meus, vix facta quædam certa colligere queat, quæ ad læsionem sistematis cujuscumque hepatici conferre fas sit. Ab illo prodiere observationes quædam sejunctæ, facta mentio de convenientiâ, et influxu pulmonum in jecur, etiam in conditione morbosà; sed quæ omnia, minime figere queunt mentem in vitio peculiari sistematis cujuscumque hepatici.

Sed undiquè collectis observationibus, referens quæ hactenùs experimenta edocuerunt deduci ab usu, dispositione, structurà que jecoris, doctrinæ contexturam reddere pro viribus statui. Tanta, me herclè proposita vires meas superant. Ignoscas ideirco, benevole Lector, si finem non assecutus, perillud tentamen, inscius omisi vitiorum quorumdam descriptionem, quæ meus concipit, quæ etiam observatione patent. Omni ope, et animo enixus, ut inde clariùs adparerent affectus quos, ætati cuique, variisque vitæ conditionibus contuli.

Imprimis generalia quædam de primariis respirationis, phænomenis edidi, motum venæportarum, lentorem, torporem sanguinis in eâdem, comparatè considerando, cum motu continuo, indesinenter que

actuoso pulmonum, cum circuitu adeo vigentiori sanguinis per arteriam pulmonalem, compagem unius selasticam; alterius vero densam ac solidam; convenientiam utriusque, ob facultatem conficiendi sanguinem, uti centra præcipua, adquæ conspirant liquida tum arteriosa, tum venosa.

Ordinavi deinde morbos organi pro læsione a sistemate peculiari vasorum quæ hepatis substantiam constituunt. De illâ divisione inferiùs, in primo tentaminis capite, mentio est.



EXORDIUM.

FETU ulterius in utero incrementum consecuto, tandemque in lucem edito ruptis vinculis quibus uteri cavo nectebatur, alia repentè in illo orditur vita, alia que sensibilitas quà elucent primaria vitæ phænomena.

Primaria phænomena in fetum a circum fusis.

Aër fétum undiquè ambicus, gravitate, elasticitate varià, virtute ve discutiente, ad novas combinationes eliciendas, quam optimè conveniens est. Strenuè nempè apud fetum vim vitæ sollicitat, etiamque accendit.

Æconomiæ organa, inter se ipsa simpathica, plus minus ve quoque consentiunt. Sic diaphragma, quod nullo modo aer attingit, applicatum pulmoni, plurimis cum nervulis consentiens est naribus et gutturi; quæ probantur stimulo in organa hæcce inducto, quo subsequitur sternutatio, seu diaphragmatis Contractio.

Sic Aër in naribus fetus, vices implens stimuli, effectus cujus ad diaphragma usquè simpathicè reflectuntur, fit hujusce contractio, subducitur, sic que subducto, fit majus cavum thoracis, aër igitur gravitate proprià, sensim, repetitoque motu, ad extrema bronchiarum ramuscula penetrat.

Sic que constituto primo inspirationis momento, constituuntur etiam primaria respirationis phænomena.

Generalia quædam de

Unà simul invertitur circulationis ordo; evolutis respirationis effectu pulmonum vasis, ante ortum con-

tractis, magno impetu ruit sanguis usque ad extrema vasorum pulmonalium ramuscula. Sic que diverticulo mirabili, etiam que mutuà inter utraque organa convenientià, impedito, rupto que sanguinis circuitu per venam umbilicalem ad hepar, ruit liquidum ad pulmones, qui eò tunc motum ineúntes, per omnem vitæ decursum, tantà convenientià, tanto que influxa utuntur in jecur. consensu influxa que pulmonum in jecore.

Ob usum mutuum, ob trämietem organicam quamquam omninò adversam alterutriusque; et quam maxima vasa quibus muniuntur, utraque tamen organa ad eandem finem perficiendam convenire videntur.

Re ipsà, considerando texturam laxam, elasticam que pulmonum, apparatum horumce arteriosum multò majorem alio organo quocumque, sanguine quin imo ad illum magna vi, ac impetu affluente.

Existimando motui continuo organorum respirationi inservientium, horum ce actioni, in jecur motu vix sensili sibi proprio, texturà densa et solida, arterià adeo exiguà, pro tantà organi mole munitum.

Sanguinis, deinde impetum ad pulmones per arteriam pulmonalem, comparando cum circulatione lentà, ac torpente venæ portarum totius ferè abdominis venis, conflatæ, perquam etiam circuitus sanguinis sollicitari videtur tantum motu contino, inspirationis et expirationis.

Quæ quamquam idææ prebeant duo capita inter se valdè admodum discedentia, etiamque adversa, deduci attamen potest utraque organa consentire, ob facultatem communem ad reficiendum sanguinem, tamquam fodinas, centra ve elaborationis permagnæ ad quæ conspirant. — Ad unum omnia ferme liquida arteriosa, ad alterum verò, tanta sanguinis venosi copia.

Expositorum conclusio.

Quæ omnia convenientiam inter hasce functiones constituunt, aut naturæ proposita nuntiant, ut in conditione morbosâ unius, alter quandoque vice vicarii fungatur, itemque ut, utraque organa mutuâ operâ conferant, et conspirent confectioni sanguinis, qui in hisce munitur virtute quâdam vitali, principiisve quibusdam, aut eadem deperdit.

Ob influxum, consensumque pulmonum cum jecore, deducitur a læsione unius, sæpè sæpius subsequi alterius læsionem.

Re ipsà ad quasdam vitæ epochas, (ut solet in phtisi, seu quarumdam conditionum effectu) læso pulmone, læsà que idcirco, inordinatâ organi hujuscè functione, per irritationem, inflammationem ve quamdam, ut itidem a duritie lardaceà quam quandoque consequitur, fit necesse respiratio anxia, fit minor diaphragmatis actio, minor que idcirco motus in jecore. Sic que inordinatà pulmonum functione, jecur seu ob consensum, seu ob convenientiam continuitatis per functionem intervertitur.

De consensu etiamque influxu cerebri in jecore.

Quod attinet ad consensum, etiam que influxum cerebri in jecore, innumeris uterque patent experimentis. Variæ capitis læsiones, ictus, pressiones, commotiones, varii etiam animi motus, icterum sæpè sæpius inducentes, quam maximè probant consensum cerebri cum jecore.

Quæ omnia jam exposita generalia nunc convenient fœtui, qui nunc aliàs, ob constitutionem matris debiliorem, sensilitatem majorem, aut ob ejusdem conformationis vitium, aliàs verò a vitio fœtus ipsius pravè positi, naturâ debilioris, utero laboriosius expellitur.

A quibus causis, et in qui-

Cui ergo convenientiæ inter tres hasce functiones constitutæ, tribui debet læsio, perturbatio se quædam simpathica jecoris, quæ icterum infantum creat.

Considerando deinde quemnam esse in utero, fœtum, quâve in eodem vitâ utatur, constat : in uteri cavo minimè extranea experiri, sensus ejus idcirco quoscumque altè consopiri, donec ulterius incrementum consequatur uterus, contrahatur in fétum quem postremùm expellit.

bus conditionibus oritur neu-natorum icter.

Si adstant ergo conditiones jam expositæ a vitio matris, infantis-ve per partum nimis arduum, valde admodùm laborat fétus; in angustiis nempè pelvis, caput nunc eò plus, nunc eò minus lædetur, comprimetur ve; prima conditio, quæ ob consensum cerebri cum jecore, icterum inducit.

Habitâ quin imo ratione in conditione jam expositâ fétus, qui in utero somno continuo, absque ullà sensilitate consopitur, uti etiam in mutatione permagnà quam subit in hepate neu natorum sanguinis circuitus.

Causà jam suprà exposita, enescitur tandem fétus debilior solitò, alto comate gravatus, tanto cum torpore et insensilitate, ut aër quo undique ambitur, nervos olfactorios, dehinc que respirationis organa minimè stimulabit, unde contractionis vitium a diaphragmate quod tantà utitur vi, in viscera abdominis in jecur præprimis ad expellendum mœconium, tam in duodeno, quam in variis hepatis colatoriis coacervatum.

Expositorum conclusio.

Facilè ex omnibus jam expositis intelligitur, cur a cerebro læso, nimisve compresso per partum laboriosiorem, subsequatur ex legibus œconomiæ notis, præcipuè apud fétum naturà debiliorem coma, tanta que insensilitas, ut post hac sollicitari nequeant ab aëris impressu, nervi olfactorii, ope quorum contrahitur diophragma. Læso que imprimis cerebro, fiunt, ob simpathiam, ob consensum ejus cum jecore, quæ totiès ob easdem causas subsequntur, cutis color aliàs flavescens, aliàs nigricans, fuscus, seu pendeat ob

absorptione mæconii per vasa limphatica in intestinorum tubo, seu in curriculum vehatur a collateratibus vasis per hepar.

Medendi ratio

Premæ ergo indicationi satisfatiendum, sensibilitatem sopitam irritando stimulo quocumque ad organa respirationi inservientia, ad nares, fauces, ut dehinc subsequatur diaphragmatis contractio. Deinde frictiones leves abdominis, pauxillum vini potus, infanti quam maximè prosunt.

Posthac lacte matris solvitur materies, in usum quoque vocantur infusa graminis, unà cum sirupo violarum, vel etiam cum semi uncia sirup. chic. comp. Sic que concitatur mæconii evacuatio, linteola demùm decocto quodam emolliente imbuta, ad sedandum, laxandum, abdomini apposita, adhibentur.

Generalia quædam.

Progrediente infantia, fiunt aliæ jecoris ægritudines, quæ viscus illud, unà aliis visceribus urgent. Ex. G. de infarctu limphatico abdominalium viscerum, efficiente morbum quem gallicè vocant (Carreau) de quo quam optima descriptio in Actis Societ. Med. auct. *Beaumés.*

Si vitæ curriculum prosequamur, affectibus quibusdam tantùm adventitiis jecur obnoxium videtur; sed utroque pubescente sexue, magna fit rerum commutatio, perquam sæpè sæpius foventur, aut etiam inducuntur jecoris affectus peculiares.

Eo tunc tempore quo oritur variorum animi motuum procella, et amor præceps, ad quem invitè tantis trahimur illecebris, eo tunc prodeunt varii jecoris morbi. Ulterius nempè incrementum consequntur generationis organa, quæ tanto utuntur influxa (seu aliàs hæce instruantur sensilitate, actione ve majori, aut aliàs eàdem deficiant) ad creandos hepatis morbos, præsertim apud puellas, catameniis suppressis, retentis aut pravè fluentibus.

Tantà perscrutatione ac diligentià ediderunt anatomici situm, dispositionem structuram que jecoris, ut quæ repetendi hic non erit locus. Mentiò est quanta sit moles ejus apud fétum, structo ex innumeris vasis varii generis in se ipis variis in modis replicatis, extrema quorum ramuscula se se mutuò recipiunt.

Omnibus nota est circulatio ejusdem propria, ob affluxum in vénà portarum sanguinis, qui diverticula flexus que varios circulationis prosequens, varia subit viscera in quibus commoratur, quibus etiam præbet materiem secretionis cuique propriæ. . . . .

Sic per circulationis effectum, virtute, principio ve vitali, spoliatus sanguis portarum, jecur subit ad secretioni bilis inserviendum.

Quinque vasorum genera hepatis substantiam constituunt.

1°. Vena portarum, et hujus ramificationes, ab extremis quorum enascuntur.

2°. Principia canalium quibus secernitur excernitur que bilis.

3°. Venæ sus-hepaticæ quæ sanguinis reliquia, secretioni bilis non inservientia recipiunt, et advenam cavam reducunt.

4°. Arteria hepatica.

5°. Vasa limphatica.

His ita, ordinandum morbos hepatis pro læsione uniuscumque sistematis descripti, et ut affectus venæ portarum aliis præstant numero, gradu, et varietate, in illis primò versandum. Morborum jecoris ordinatio.

Ad quatuor affectionum modos, referri videtur à venà portarum et ab hepate conditio morbosa; qui sunt :

1°. Belis secretio excretio que aucta.

2°. Deinde vitiata modoquodam; conditiones quæ policholiam, et atram bilem constituunt.

3°. Bilis aberratio, unde subsequitur icter.

4°. Bilis defectus ob vitium secretionis, excretionisve, ut in cachexiâ, scorbuto; et chlorose.

5°. Bilis depravationes varîæ, ut in hipochondriasî, et in melancholia.

POLICHOLIA.

ELementa bilis, extrà modum aucta, ejusdem liquidi secretio, excretio que major, policholiam, turgescentiam, bilis colluviem, faciunt.

Major minor ve in sanguine procreatio principiorum bilis jam jam secernendæ, ejusdem secretionis apparatus, motus sanguinis in sistemate portarum, eo lentiùs progredientis, quò proxîmè ad hepar accedit.

In eodem sistemate portarum sanguinis congestio, redundatio, quæ in temperie biliosà sen hepaticà, unà cum actione jecoris majori, se habet ad secernendam majorem bilis copiam, est conditio quæ per omnes vitæ periodos proditur, etiam que apud infantes, qui pro verbo (bordeu) sub hepatis dominio vitam maximé dégunt, cadavera quorum, per autopsian anatomicam, montrarunt jecur magis densum, majus solitò, etiam que vesiculam felleam magis amplam; est itidem conditio quæ majori bilis procreationi, variis que ejusdem depravationibus, favet.

Ex omnibus hisce deducitur temperies biliosa, sic nuncapata, ob prædominium bilis aliis liquidis, ob

functionem jecoris aliis prævalentem, temperies, quæ sibi propriis stipata phœnomenis elucet, ut sunt : pulsus commune duri, fortes magni, cutis sicca, et arida, sæpe que arens, quandoque flavescens, fibris tensa, et rigida, feces siccæ, et duræ, alvus communè adstricta, hemorrlioidum frequens apparitio. Quæ temperies desideriis quibus cumque ardent, omnes earum animi facultates quam maximè micaut, tantà cum vi, et susceptibilitate in sensationibus, ut quandoque consequatur melancholia.

Ea sunt phœnomena, quæ notant biliosam, a naturà insitam temperiem, quæ prædisponens est, ope conditionum quorumdam ad consequenda varia bilis vitia.

Ex esu rerum non naturalium, quæ præprimis conspirant, et favent huic temperiù adipiscendæ, bilis que secretioni majori; calor cum humido, convenire præprimis videntur ad augendum jecoris motum, ad majorem sollicitandam bilis secretionem, postremúm que ejusdem liquidi exuberantiam. **Policholia a circnm fusis.**

Morbi varii in fervidis regionibus observati, a variis bilis depravationibus inducti, aut quos saltem comitat bilis vitium, ut itidem morbi epidemicè grassantes in tractibus nostris, per æstatem, et autumnum, nostra proposita probant. Videtur nempè primævum æstus nimii effectum esse, minutionem motus vibratilis cordis, et arteriarum, dum venosa compages consequi appareat vini majorem; motum ve intestinum quo in venas fit major sanguinis determinatio, et affluxus, ita ut sistema portarum, motu majori muniatur, de ictu vibratili minuto.

Apparet calidum extraneum extra modum sufficere, ad inducendum in corporibus, caloris gradum quam optimè convenientem ad alendam vitam, functiones que æconomiæ sollicitandas, et idcirco non egeat natura indesinenter luctari temporum mutationibus, ser-

vandi, tuendi que causâ, motu ictu que majori, calorem quem ambientia reddunt.

Sic que æquilibrio intra calidum extraneum, et corpora, constituto, instituitur, necesse que subsequitur motus ferè æqualis per omnes æconomiæ partes. Vis vitæ consopitur ac quiescit, ut probant tum in phisico, tum in morali, varia quæ observantur phænomena in fervidis regionibus.

Cordis et arteriarum ictu minuto, vi minori propellitur sanguis, congeritur in venis, quæ obtexturam laxiorem minimè obsistunt affluenti liquido, evolvuntur ergo venæ, magis apparent.

Vena-portarum que ex innumeris totius ferè abdominis venis conflatur, pro motu æquam sanguinis copiam recipiet, subsequentur coacervationes ejusdem, præbentis, secum que trahentis materiem copiæ majoris, etiam que exuberantiam bilis secernendæ.

Sic se haberi videntur, ob dispositionem ipsam portarum, in hàcce præprimis retardato motu sanguinis, in eàdem eò lentiûs progredientis quo plus proximé jecur attingit; conditio quam optime conveniens principiorum bilis disjunctioni, et ob eadem, ad efformandam policholiam.

Policholia ab ingestis.

Ex usu ingestorum quorumdam oritur alias lenta, alias spontanea bilis colluvies. Longà observatione constat, usum carnium, vitam que otiosam conditiones esse aptas ad sensim inducendam majorem bilis procreationem, ad prædisponendum variis a bile morbis.

Item que, alimenta pinguia, oleosa, ob consuetudinis defectum; in sistemate gastrico inducere phænomena quædam, quæ sunt : dulcedines perquàm nauseosæ, bilis apparatus, quos sæpe sæpiùs sequntur affectus gastrici biliosi, qui nuntiant bilis actionem, exuberantiam, perversionem in ventriculo, et intestinis.

Ab analogia mutuà ingestorum horumce cum bile oritur ne tanta bilis excretio? Hæc tribui ne potiùs debetur, motui spontaneo à naturà, ad obvolvendam, expellendam que materiem noxiam adeo debilitantem. Medicamenta quædam, etiam magnam bilis secretionem sollicitare videntur. Sic amara, amarescentia quædam, ut aloës, rhab. effectu irritationis, in sistemate gastrico, in duodenò, ad colatoria bilis usque extendentis, majorem bilis secretionem sollicitantis, policholiam quoque creant.

Tanta ne bilis excretio tribuitur affinitati singulari organis pertinenti inter organa hæcce, et ingesta quædam; qua affinitate inducitur actio organi major, secretio excretioque liquidi uberosior.

Pauca, in æconomiâ liquida, per varios morbos quibus urgemur, tantos adeo que varios lusus agunt, bile. Nullum ferme liquidum, cujus natura facilius permutetur variis corporum conditionibus. Quid mirum! si, habitá ratione, instructurà, in organisatione, in circulationis ordine, in sensibilitate que proprià jecoris, primus experiatur læsiones varias, abaliis organis, functionibus ve læsis aut turbatis.

Sic validi animi motus, irritatio ve quædam per magna, magno etiam utuntur influxu in policholiam creandam. Nunc alias bilis per æconomiam diffunditur, nunc alias expellitur vomitu, aut per alvum educitur, colore ejusdem quandoque permutato. Policholia a spasmo ab irritatione.

Sic que ob consensum cutis cum sistemate portarum, minutâ, turbatâ ve aliquo modo perspiratio, ad interiora organa fit reflexus, hepar sæpè sæpias fungitur, ac explet vicem perspirationis turbatæ; major fit secretio bilis variè depravatæ, quæ seu stagnans sit in variis colatoriis sibi propriis, seu in intestinorum tubo, varia producit simptomata. Ab applicatis quibuscumque frigoribus.

Sic in sistemate gastrico, vomitus immanes, car-

dialgiam, diras que febres inducit. In intestinis; eorum inflammationem creat, etiam que choleram morbum.

ATRABILIS.

LOngâ observatione constat temperiem adesse propriam, elementa cujus omnia spectare, favere que apparent, atrabili procreandæ. Phænomenis quibus hæc temperies notatur, confert, ac maximè convenit constitutioni biliosæ, cujus supremus gradus est, etiam que soboles.

Re ipsâ intensitatem, extremùm ve temperici biliosæ nuntiant phænomena cui temperici propria, quæ sunt: cutis sicca, et arida, solida vuldé admodùm densa gradù intensissimo nutuum; color capillorum ater, occuli concavi, cutis alias flavescens, aliàs fuscus, venæ tumentes, urinæ acres, et rubentes, dejectiones siccæ, demùm validi animi motus, quæ omnia nuntiant vitium solidi vivi, aptitudo cujus, maxima ad atrambilem creandam.

Qua propter ob convenientiam propriam temperiei biliosæ cum atrabiliosa, ob utriusque aptitudinem, ad eosdem generis consequendos affectus, bile et atrabile in constitutione quàdam annuà turgentibus: in medium proferre liceat temperiem atrabiliosam, nil aliud esse, ni temperiem biliosam intentissimam, id est transitum, temperationem variam liquidi biliosi, ætate progrediente, seu quarumdam conditionum effectu in atrambilem abeuntis. Que constitutio prodest præprimis apud gentes orientis, facta quorum innumera per historiam tradita, hanc temperiem intentissimè biliosam, atrambiliosam esse testantur.

Sic in ferventibus arabiæ, affrorum que arenis, subdio sicco, et urente viget temperies illa, sicca, et arida,

arida, quæ testatur influxum, etiam que cum corporibus convenientiam cœli inducentis permutationem propriam, inordinationem in sistemate portarum, seu in hepate ipso tunc actione propriâ aliis organis prævalente in secernendà bile modo peculiari vitiatà. Modus esse cutis fusci, immoderati animi motus; hunce influxum nuntiant tum in phisico, tum in morali.

Sic in iisdem tractibus, attributo indolis proprio elucent imaginationes, proposita, facta que etiam tanta, ut vix perceptioni cadant. Odia, vindicta atrox sedato corde perfecta, influxum atræbilis nuntiant. — Aliàs verò in iisdem abundarunt pii cænobitæ delirio, desiderio que pertiuaci capti, ad varia explenda proposita quibus tanto animo hærebant.

In regionibus nostris observantur quoque temperies eadem, idem que affectus. In hisce nempe prodeunt causis levioribus atræbilis elementa, quæ ad apta tempore turgens, phænomena quædam sibi propria creat, quæ pro actuorio sunt. (*) Tremor, animi demissio, inquietudo varia, tristitia gravis, impatientia, delirium quæ alternis vicibus mentem occupant.

Unâsimul corpora ad torporem disponuntur. Dolores abdominis pergraves quandoque experiuntur, anxietates immanes ad præcordia, horum ce constrictionem perdurantem; quæ comitant prostratio, cardialgia, motus convulsivi varii.

Quæ simptomata nuntiant influxum atræbilis in sistemate gastrico stabulantis, æconomiam frangentis. Intereadum hipochondria tensa, ac elevata, facies dissoluta, respiratio brevis frequenti singultu interrupta, pulsus debilis, ac intermittens, vacillans, nuntiant corpus extremis augustiis urgeri â liquido adeo praviori quo cum natura tantis luctatur viribus;

(*) De method, med, lib. 1. cap. 16.

tandem subsequntur vomitus materici fusci, nigrescentis, impressum agentis nunc alias acidum, corrodentem, dentes, fauces que stupefacientem; quo vomitu omnia evanescunt simptomata, morbus que, solvi videtur.

Quæ phenomena statis ac regularibus paroxismis, quandoque post quorumdam dierum spatium intercurrunt.

Quæ omnia jam exposita simptomata efficiunt gradum tertium bilis valde admodum depravatæ, quem assiguavit (Reil) indoles cujus ab hippocrate ipso quam optime exposita.

Bilem atram (aït divus) senex, tamquam fecem vomunt, interdum velut sanguineum, interdum verò veluti vinum secundarium, quandoque etiam veluti polipi (pisus atramentum) quandoque acidum, tamquam acetum; nonnumquam bilem ex viridi pallidam, et cum nigrum quidem cruentem vomuerit, fæcem olere videtur; fauces et os incenduntur ex vomitu, dentes obstupescunt, et quod vomitu rejectum, bilem attrahit; cum qne vomuerit paulò melius habere videtur, neque sine cibo esse, neque copiosiorem cibum ingestum ferre, potest. Latera dolor detinet, febris levis est, caput dolet, crura gravantur, color nigricat, et minuitur.

Ea sunt phœnomena varia, quæ ab omni memorià inducuntur ab atrabile ad tempora quædam turgente, per æstatem et autumnum præprimis.

Duabus tantum observationibus, inter alias innumeras, affectus hujusce natura patebit.

1°. Obs. vir 36. annorum, temperiei biliosæ, qui â pubertate quotannis, per æstatem, et autumnum affectus biliosos experiebatur, ad trigesimum quartum vitæ annum afficitur sollicitudinibus quibusdam domes-

ticis, quarum perseverantiâ, altis tanden mæroribus confectus. Ad finem autumni, et ineunte hyeme apparuere hemorrhoides fluentes quibus levabantur incommoda quædam â conditione proprià orta. Eò tunc dolorem in hipochondrio dextro, periodicè recurrentem expertus fuit; statim â somno inquieto, et manè præprimis, urgebatur angore, anxietate que immani ad præcordia. Digestio ejus difficilis, laboriosior que erat; quam sequebantur ructus flatus que; et ut præcipuum simptoma, dolore abdominis pergravi torquebatur ad finem usque trigesimi sexti anni. Fodinà mali quo urgebatur semper durante, tristis, suspicax, taciturnior que factus, solitudinis amore captus, in ea sæpè sæpius versabatur. (Notandum eò tunc tempore hemorrhoides non apparuisse). â perversione functionum æconomiæ tandam consecutâ fuit læsio facultatum intellectualium. Morosior solitò, tanta desperatio animam occuparat, ut sibi mortem consciscere consilium inierat. Postremùm elucebant simptomata varia quibus notabatur sedes, fodina ve læsionis hujusce. In mediis convulsionibus, occulo truce, facie dissolutâ, plumbeo colore, respiratione brevi, frequenti singultu interrupta, pulsu debili, intermittente, et quandoque vacillante, motu quasi critico materiem nigrescentem, atramentum subinde acidum, fauces exurentem, dentes stupefacientem, per vomitum rejiciebat, quo varia evanescebant simptomata.

2°. Obs. a jeunet assumpta.

Puer septimum annum ducens, eo tunc dolores abdominis pergraves expertus fuit, quos sequebatur dissenteria pessimæ indolis. Dejectiones ejus colore saturatiori, etiamque nigrescente. Quin imo singulis mensibus vomuerat materiem copiosiorem, nigram, evacuatio cujus periodica, etiam ab infantis ortu, nusquam interrupta fuerat. Quæ cum ita se habebant,

dolore, auxietate permagnà, convulsionibus que urgebatur. Materies paucà mole per vomitum rejecta, acer, ac corrodens erat. Hoc ce vomitu critico solvebatur morbus.

Quæ duo observationes procreationem atræbilis testantur, ejus turgescentiam ad stata tempora, ejus que in æconomiam influxum.

Numnè etiam in tractibus nostris observantur variæ bilis depravationes, ad exposita tempora in atram bilem quandoque abeuntis: Per illas nempè tempestates, aliter modificata, temperata ve corpora, morbos subeunt singulares a depravatione bilis ortos. Quam depravationem nuntiant phœnomena horrenda, ut sunt: auxietates immanes ad præcordia, dolores intolerabiles in intestinis, ad hipochondrium dextrum, vomitus immanes materiei fusci, nigrescentis, aut dejectiones similes.

Quæ phœnomena (seu aliàs sint causa, seu alias effectus) vulgò comitant febres pessimi generis, putrido-malignas, aut alias epidemicè grassantes, ut sunt: febris flava americ, morbus siam, et aliæ putrido-biliosæ in tractibus nostris etiam observatæ per æstatem, et autumnum, ortæ a constitutione atrabiliosà, a bile turgente, et valdè admodùm depravatà.

Ex omnibus hisce expositis, liquet temperiem adesse atrambiliosam; itemque constitutionem atram biliosam annuam.

Atrabilis idcirco prodit ac turget in conditionibus aptis, causis que levioribus apud temperiem expositam, itemque per constitutionem aptam annuam. Aliter nempè eò tunc modificata corpora, morbos subeunt ab atrabile quæ, pro vehementià causarum et conditionum, simptomata creat, nunc eò plus, nunc eò minus lethalia, prò morbi progressu, nunc alias lento, nunc alias acuto.

— SI acutè progreditur ; aliter modificatis corporibus, sub atræbilis dominio redactis, apparent ineunte morbo, vomitus immanes materiei nigrescentis, fusci, subnigri, malè ominis, ac imminentis mortis præsagium.

Si lentè, materie in temperie atrabiliosà, subinde æconomiam gravante, subsequntur ad stata tempora, simptomata varia de quibus jam mentio, quæ vires acquirunt eundo, donec atrabilis, in alium morbum abeat, ut maniam, dementiam.

ICTERUS.

MAgna semper agitata fuit quæstio an à læsione vesiculæ fellaæ, æque ac à vitio hepatis ortum traheret Icterus. Morbi à bilis aberratione.

Inter observationes, et experimenta quamplurima, quæ hæc affectio edidit, quædam tantùm notandum, quibus innotescat certa icteri sedes.

Wepfer collum vesicæ apud quadrupedes ligavit; etiamque calculorum vestigia, in vesiculà reperta, non apparente ictero. Indicia.

Deindè affirmatum fuit vitium ab hepate ipso, obstructiones capillamentorum, acinorum ve organi hujusce, ad creandum icterum non convenire ; bilem nempè secerni, formari que meritò defenderunt. Quid demum ! ductu bilis quadrupedum ligato, spontè supervenit icterus.

Canali cistico ligato, idem non subsequitur effectus. Solo obstaculo canalium excretoriorum, per calculos biliares, per inflammationem, compressionem, ad hos ductus usque extendentem, potius tribui debetur icteri causa.

Meritò statuerat *Morgagni*, nullam ferè, aut parvam adesse convenientiam icteri, cum affectibus vesicæ fellæ; si que canalis cisticus calculum contineat quod rarissimum fit subsequitur icterus, effectu ipso irritationis, spasmi per calculum inducti, qui etiam extenduntur usque ad hepar, functio cujus tunc pervertitur, fit que bilis reflexus. Quid quid postremùm bilis excretionem inhibet, impedit, icterum inducet, bile in sanguinis molem refluente. Sic spasmi validiores, effectus doloris cujuscumque subiti, veluti vulnera aponevrotica, spasmi a febre orti, valida animi pathemata, animantium quorumdam morsus icterum inducunt.

Ab occlusione ductus bilis, eadem sequntur.

Quovemodo fiant; facilè tamen concipitur diaphragma, effectu ipso variorum horumce affectuum, spontè ac violenter contrahi; jam que secretum liquidum in variis ductibus biliferis, in duodeno præprimis coacervatum; per vasa limphatica semper hiantia, aut reflexu, per venas hepaticas, in sanguinis molem progredi. Per utramque viam bilis, a vlidis hisce affectibus expositis, in sanguinem numnè progreditur!

Oritur ergo icter quotiescumque angescit moles bilis etiam ritè secretæ et excretæ, in intestinorum cavo stagnantis, per vasa limphatica contrusæ; seu canalibus ad excretionem imperviis intervertatur ejus excretio, cursum devium in utrâque conditione prosequens.

Causis jam expositis, nunc aliàs lentè èfformatur ac progreditur icter, prò varietate, et vehementià harumce.

Validi animi motus, lapsus, ictus in capite, dolores suctiores, convulsiones variæ, ingesta quædam, viru-

lentorum morsus, catameniorum suppressio, retentio ve â spasmo, sæpè sæpius repentinum creant icterum, communè inducendo subitam, validam que diaphragmatis musculorum que abdominalium contractionem; dehinc que spasmum canalium in quibus congeri potest bilis, ad hepatis usque substantiam extendentem ope plexus hepatici, diametron vasorum, canalium ve secretoriorum et excretoriorum bilis, quam maximè contrahere valentis.

Morbi quidam prægressi, ut febres intermittentes quartanæ, catameniorum suppressio â debilitate in longùm aliàs icterum induxerunt, ob vitium liquidorum, ob infarctum canalium secretoriorum, excretoriorum ve bilis diverticula alia subeuntis. Sic que prò temperie, prò morbi naturâ, vehementiâ aut diuturnitale, fuscus, subniger oritur icter.

Quid demum! nunc aliàs ad principium, aliàs vero, ad ulterius quorumdam morborum acutorum incrementum, observatus fuit icter.

Dehinc statuenda foret divisio conditionum variarum, in quibus multiplex observatio, nuuc aliàs periculum, nunc aliàs morbi solutionem monstravit; unde enascitur divisio 1°. in icterum simptomaticum, 2°. in icterum criticum.

Simptomaticum vocant icterum, quotiescumque enatis, aut etiam vigentibus quibusdam morbis acutis, supervenit totius corporis intensa flavedo, ut solet in febribus quibusdam epidemicé grassantibus, ut in febre flava americ, aut alia quæ adeo dirissimis stipantur simptomatibus.

In hocce affectu, œconomiæ aut jecoris ipsius orgasmo; pervertitur cursus bilis jam in intestinis excretæ, aut in hepate ipso ejus turbatur excretio.

Quotiescumque enatis aut vigentibus hisce, orto-

ictero, non mitigantur simptomata, contrà intensiora fiant; iniminentis mortis præsagium.

Criticum vocant icterum quotiescumque ad finem vergentibus iisdem, (ut mihi metipso observare licuit) nono, undecimo, quartodecimo à morbi ingressu, orto, ant penitus efformato ictero, solvitur spontè morbus; tunc cutis intensè flavescit.

Per totum morbi decursum laborant ægri auxietatibus permagnis, sensu ponderis, etiamque doloris ad epigastrum, et ad hipochondrium dextrum, itemque delirio urgentur. Quæ nuntiant bilem, in sistemate gartrico congestam, quædam simpathicè alia inducere simptomata; nunc superveniente ictero, solvitur morbus. Videtur naturam medicatricem, cum materie morbosà confligentem, liberius, aptiùsque id liquidum fecisse, dein per metastasini ad cutem retulisse.

Ratio medendi. Profligatur icterus pro causâ primævâ. si ab animi motibus, hos sedundum, spasmum frangendo opiaceis, sedantibus, anodinis; intereadum, omni ope, ac attentione enitendum, donec causa quà fovetur icterus, auferatur.

— Si â febre quâdam intermittente prægressà, aut a cachexiâ quâdam, ortâ â febre quæ, ob directionem consuetam sistematis nervei ad eosdem repetendos motus, paroxismo febrili pergentè, post se trahit debilitatem dies in dies majorem.

Quam directionem frangendum tonicis, roborantibus. Si perstet icterus, haud dubium quin alti infarctus, calculosa ve habitudo ductuum biliosorum, ut noscuntur sensu doloris subindè sævissimi ad hipochondrium dextrum, non icterum foveant. Tunc saponacea, diluentia, longus vegetabilium usus, quam maximè prosunt.

— Enatis ant vigentibus febrilibus morbis, ictero,

simptomatico orto, sedandum æconomiæ orgasmum refrigerantibus, emollientibus, acidis, laxantibus omni modo.

Ad finem vergentibus iisdem, orto ictero, omnia adhibenda quæ diaphosim promovent; balnea laxantia in usum itidem vocantur.

à bilis depravatione, ei defectu.

HAud dubium quin bilis aliorum liquidorum vitio particeps non sit. Sic depravatur, item que deficit in variis affectibus ortis a validorum laxiori compage, a defectu generali virium vitalium, a liquidorum mole, et exuberantiâ, quæ assimilari acqueunt ob languentem vim vitæ, quæ colluctando impos est, adversus tantam molem, liquidorum que exuberantiam.

Sic in cachexià varià â causâ quâcumque ortâ, ut in chlorose, scorbuto, intervertitur bilis secretio, languescunt liquida præcipuè in venà portarum, ob causas jam suprà expositas. Fiunt infarctus varii per varià hepatis vasa. Tum aliàs in sistemate limphatico, tum aliàs per varios portarum ramos decomponuntur liquida, deperdito organorum motu :

Bilis conditio permutatur imprimis, seu ejus oriatur defectus aut vitium, in inserviendâ digestione impos, iners idcirco liquidum.

HIPOCHONDRIASIS.

QUædam æconomiæ læsiones, ab iisdem ortæ etiam que fotæ, per stadia quæ sequntur, simptomata nunc aliàs eadem, nunc aliàs, inter se ipsa valdè admododum adversa exbibent, cum intensitate varià.

Hæc conditio, causam, rationem que ducit a temperie individuà, a sensibilitate majori functionis cujuscumque, a gradu ipso morbi, quæ omnia magnum discrimen constituunt in naturà earumdem læsionum; quæ sæpè sæpiùs ortum communem ducunt, ab unà et eàdem functione turbatâ foventur.

Jecur præprimis, affectuum horum ce variorum quos edit alteratio quædam in sistemate portarum, exempla quam plurima præbet.

Hipochondria, mèlèua, et melancholia nervea, quæ omnes, apud auctores, ut affectus quique proprii, alter ab altero sejuncti habentur, inter se attamen cohærentiam, convenientiam que singularem præbent per decursum quem consequntur, inter se sic permisceri videntur, ut uno horumce orto, vulgò veluti simptoma eluceat alter, ita ut edità, E. G. melancholia, solitò consequntur, aut unà simùl prodeant simptomata hipochondriasis, etiamque melenæ.

Inter se idcircò, validè-admodum affines, quià solitò ab unà, et eâdem causà ortum ducentes, unâ simùl progrediuntur unum et eundem effectum efformantes, quia subindè, vicissim, mutuò que se se recipiunt; quia in iisdem conditionibus prodeunt, eo quòd tandem in eadem temperie sedem communè constituunt.

Re ipsà attento animo considerando quæ conditiones conveniunt, aut favent affectibus hisce adipiscendis, perspicitur temperiem propriam, educationis modum singularem, unicuique horumce affectuum consequendo, ad statum præprimis vitæ periodùm, prædisponere.

Sicque, quid quid itidem hepatis vitium, sanguinis reflexum, congestionem, in sistemate portarum inducit, inhibito, aut etiam impedito sanguinis circuitu in eodem, ut hemorrhoidum catameniorum ve suppressionem, ut arthritidis Rhumatismi disparitionem lentam seu spontaneam, affectuum quorumdam cuticularium repercussionem, ut, herpetis, scabiei, aliorum que ejusdem generis morbos acutos chronicos ve solventium, aliàs læsionem hepatis â mole majori creare, aut saltem fovere phœnomena hæc tres præcipua ejusdem morbi, quem notamus verbo generico *HIPOCHONDRIASIM.*

Itidem causæ quæcumque vires frungentes, ut valida animi pathemata, exercitia omni generis immoderata, labores diu protracti, vita segrex, et contemplativa, febres intermittentes quartanæ, sedes in loco humido et depresso, vita ardua et loboriosior in otium perlongum repentè abeuns, varios hosce affectus creant.

Sic que statuendum, à compagine et convenientiâ quàmplurimarum causarum et conditionem generalium sæpè sæpius deduci simptomata varia affectus varios inter se nunc aliàs multùm affines, nunc aliàs inter se valdè admodùm discedentes, variè temperatos, et compositos prò sensibilitate generali æconomiæ, prò gradu ejusdem, prò motu nunc majori, nunc minori organi cujuscumque, prò temperie individuà, affectus tandem quos observatio multiplex edocuit originem trahi â læsione unius, et ejusdem functionis.

Re ipsà causæ, et conditiones jam recensitæ, prâ

temperie, et susceptibilitate nerveà inducunt unum quemcumque horumce affectuum; quo orto, uti effectus præcipuus apparet alteratio, læsio quædam in sistemate portarum.

Quænam sit horum indoles aut natura, quænam vulgò causæ quamnam harumce affectionum creant, quorum sedes in variis portarum connexionibus nobis exquirendum manet.

Melancholia atonos a causis vires frangentibus orta, quæ corpus, seu phisicè, seu moraliter afficiunt.

AB Ortu ad grandævitatem usquè subit circulationis ordo, ad quamdam temporum circumscriptionem, permutationes phœnomena quædam, quibus ætas quæque notatur.

Sanguis qui, per infantiam ad pubertatem usquè, magno impetu tendit ad cerebrum, ut probant hemorrhagiæ nazales, ætate progrediente, dùm sensim evolvitur, ac vim majorem consequitur arteriosa compages, ut itidem fit ridundantia, exuberantia que sanguinis in eâdem, elucet ætas, animus que juvenilis.

Phœnomenis nerveis solitò stipata.

Eò tunc sanguis majori copià et impetu progreditur ad omnes æconomiæ partes, quibus ulterius incrementi materiem præbet, etiamque formam.

Tandem pubescunt genitalia organa, quæ tanto utuntur influxu ad quasdam sollicitandas excretiones, ad earumdem permutandam naturam, ad facultates tum phisicas, tum intelligentes perficiendas. Sonorem, robur que majus consequitur vox. Unà simùl sanguis per omnes æconomiæ partes, ad præcipua vitæ centra majori copià, et impetu propellitur. Apparent eò tunc morbi a vitio hereditario orti, ut imprimis hemorrhagiæ pulmonum.

Quid demùm! elucet variorum animi motunm procella, constituuntur varia sensibilitatis centra, quæ etiam phœnomenis propriis prodeunt.

Corpus ulterius tandem incrementum consequens,

utuntur itidem organa vi majori, facultate ve magis activà in implendis functionibus; sic que æconomia multos per annos progreditur donec effectu ipso temporis, post quorumdam annorum decursum labefactentur vires, ingravescat vis vitæ.

Sensim deperdit, ac in pesus deflectitur corpus; languente cordis et arteriarum ictu, minuitur perspiratio, eò quod sanguis ad extrema ramuscula sistematis arteriosi cuticularis, vi minori propellitur, undè subsequitur reflexus, congestio ve in sistemate venoso liquidi, quod perspirationis massam efformaturum fuesset, quod idcircò sanguini transmittit indolem, vitium ve quo, hæc evacuatio munitur; hinc (ut longà observatione constat) causis iisdem, morbi seniles indolem putridam facilius consequntur, aut aliàs, solitò in putridum abeunt.

Sic que ætate labente, sensim evolvitur sistema venosum, motum que majorem consequi apparet à motu arteriarum minuto.

In compage abdominis venosà, notantur præprimis virilitate cadente, varia phœnomena morbosa, quæ nuntiant in eâdem progressionem, congestionem sanguinis; ut probant hemorrhoïdes, et quandoque infarctum notabilem venarum, quæ in vesicæ urinariæ collo, et parietibus sitæ sunt, undè subsequntur stranguriæ, dolores âcutiores, et mictus quandoque cruenti.

Ea sunt phœnomena varia quæ fiunt ad quasdam ætatis epochas, quibus etiam attendendum in investigatione morbi de que jam mentio.

Modus vivendi, educatio que singularis magno etiam utuntur influxu ad evolvendem sensibilitatem majorem generalem, susceptibilitatem ve nerveam, ad quamdam vitæ periodum in quibusdam centris, fodinis ve vi tantâ elucentem, quæ etiam tantoperè confert ad hinochondriasim creandam.

Urbani, qui otio, ac vitæ deliciis incumbunt, qui in vità contemplativâ ac solitarià versantur, sensationes quorum quamobrem, magnà vi et acutie utuntur; ad ætatem virilem præprimis innummeris animi motibus urgentur; quot mutationes, inordinationes ve non subeunt mentis facultates ab ætate, animo que virili, quem sic descripsit horat!

Ætas animus que virilis
Quærit opes et amicitias, inservit honori
Commisisse cavet quod mox mutare laboret.

Quantas, reipsà ordlnis inversiones subit æconomià a casibus adversis, ab amisso quodam delecto, ab invidià, ab immoderatà ambitione, ab odio ad ima usquè pectora coacto, à multis que aliis animi motibus adversis partis ve, qui omnes reflectuntur, impressum que agunt in centrum phrenicum, in varios que plexus nerveos quibus circumvolvuntur, quibus adjunguntur variæ sistematis portarum venæ; frequentià aut perseverantia quorum etiam affectuum in eâdem venà portarum inducitur, alteratio quædam ex quà solitò subsequitur melancholia cum materie; seu pro gradu causæ seu pro susceptibilitate nerveâ, meus nunc aliàs repentè, nunc aliàs verò per seriem effectionum gradatim progrediens, in altis, validis que animi motibus incidat; ut sunt: inquietudo, morositas, curæ, tristitia gravis, alti mærores, melancholia, et desperatio.

Temperies sensibilitate, susceptibilitate ve nerveà majori munità, causa prædisponens est melancholiæ, elementa cujus post hac prodeunt variis animi motibus. qui postremò corpora itidem afficiunt ac innumeris causis et conditionibus vires frangentibus, ex quibus observatio multiplex edocuit hunc affectum oriri; quæ sunt: exercitia omni generis immoderata, labores diù protacti, vita segrex et contemplativa, febres intermittentes quartanæ, sedes in loco humido et de-

presso, vita ardua et laboriosior, in otium perlongum citò abeuns. Quæ omnes conditiones, postremùm debilitatem, liquidorum torporem, organorum digestioni inservientium vitium, perspirationis insensilis diminutionem inducunt, ob languentem vim vitæ, ob minutum cordis et arteriarum ictum, et præprimis liquidorum reflexum congestionem in sistemate abdominis venoso.

Effectus iidem ab animi motibus subsequnsur. Meus altà nempè meditatione semper incumbens, totæ in affectu dominanti animi facultates, intensitatem dies in dies majorem consequntur, dum aliæ corporis functiones sensim languescunt, ac vim deperdunt.

Senso quorumdam animi motuum transmisso, reflexo ve ad centrum phrenicum, ad varios abdominis plexus nerveos, ad cœliacum, solarem, hepaticum, fiunt impressus varii, spasmi, constrictiones, quæ ad substantiam usquè jecoris extenduntur; quibus etiam inhibetur, aut impeditur in sistemate portarum sanguinis circuitus.

Ab animi motu absumtà vi vitæ, languet æconomia, torpent liquida, fit digestionis vitium, rarior fit respiratio; minuitur perspiratio, alterationes quæ omnes conveniunt conditionibus variis vires frangentibus suprà expositis.

Ex omnibus hisce liquet, quidquid vires œconomiæ frangit, functiones pervertit; quidquid itidem sistema nerveum turbat per varia sensibilitatis centra, modo jam exposito inducere reflexum congestionem ve sanguinis in sistemate portarum; undè melancholiæ origo.

Habitâ deinde ratione ordinis, dispositionis venæ portarum, ejusdem que connexionum cum ferè omnibus venis apparatus digestionis, contignitatis ejus maximæ cum organis motu vix sensili, aut debiliori munitis,

et quibus circumdatur, mescnterio, liene, ventriculo, pancreate, et intestinis.

Considerando deinde circulationem sibi propriam, defectum valvularum in eâdem, ejusdem nexus cum variis sensibilitatis exquisitioris centris fodinis ve; quid mirum! si fiat sistema portarum labes, sedes que primæva, aut præ aliis erganis experiatur effectus affectuum variorum quibus œconomia urgetur.

Conditiones ergo in quibus vulgó elucent ac prodeunt melancholiæ elementa, ad duo capita referuntur quæ eosdem effectus exhibent, quæ etiam habentur meritò prædispositio quam optimè opportuna, ac conveniens ad melancholiam creandam; quæ sunt: ætás provecta, — temperies quædam sensibilitate susceptibilitate ve nerveà majori, munita.

Ad hæcce habito respectu, item que ad causas vires frangentes, liquebit: perseverantià quorum ulteriorem postremò subsequi effectum, vim vitæ exhaustum, virium deflectionem.

Æconomià nempè refectionis facultatè destituta, humoribus crassis, tenacioribusque dies in dies gravatur in organis præprimis motu vix sensili, adeo que debiliori munitis, in quibus etiam, ob tardiorem circulatiocem orbatur liquidum facultate confectrice; unde subsequitur stagnatio congestio sanguinis in sistemate portarum, in extremis ejusdem venæ ramusculis.

Sanguis idcircò portarum depravationem variam consequitur, ob lentorem, commorationem per varios portarum ramos, etiamque in variis bilis colatoriis, in vesiculà felleà, etiamque in duodeno, ubi coacervatur decomponitur, fit que succus melancholius.

Intereadum varia elucent simptomata, variique subsequntur

sequntur effectus læsà inordinata que æconomià, digestio imprimis læditur; ob digestionis vitium fiunt ructus acidi; austero acidi melancholii urentem etiam quandoquè sensum experiuntur in ventriculo; esculenti cibi in eodem omni modo viti autúr ad præcordia fiunt molestiæ, angore, auxietates quandoque immanes.

In intestinis flatus, borborigmi, alvus intereadum adstricta, fæces induratæ, quia imo per os, et per anum quandoque reddunt aliquid amurcosum fuliginosum, consisteutiæ variæ.

Deinde ob relationem jecoris cum cerebro, et vice versà, fiunt alia simptomata quæ omnes ad læsionem sistematis nervei referuntur, quæ sunt: vertigines, aurium tinnitus, sensus frigoris ad verticem capitis, aliàs nunc hemorrhoides frequentes, vomitus ve cruenti.

Intereadum melancholici mæstitià continuà incumbunt, animus imbellis terrore correptus ad minimum motum expavescit; sunt illis omnia suspecta, illos tenebræ, et silentia terrent, soli loquntur, solitudinis amore capti, societatem fugiunt.

Si magis intendantur causæ, fit torpor ad minimos motus; cutis color pallidior, flavidior, magis fuscus, livescens, pulsus lentior, intermittens. Increscunt augores anxietates que, donec cruento vomitu, aliàs atramentum, aliàs verò aliquid amurcosum referente, evanescant simptomata.

Præcipua jam exposita vel uno impetu sæviunt, vel statis, ac irregularibus paroxismis, febris intermittentis æmula.

Si valde admodum intendantur causæ, increscunt etiam, ac intensiora fiuut simptomata, usque tandem melancholia desinat: 1.° in alium morbum ut dementiam apoplexiam.

2.° In mortem dies in dies, increscentibus augoribus

anxietatibus que, melancholici que subindè, gaugrænâ, rosione viscerum abdominis consumpti, per longuos cruciatus vitam finiunt.

Intereadum tristitia, mærore que tanto conficiuntur, ut sæpius in desperationem, in miserrimos que ejus eventus decidant.

Omnibus jam expositis habito respectu, liquebit, melancholaim differre ab atrabile, melancholiam anglorum discrepare ab atrabile quæ gente sorientis sortitur.

Melena seu morbus niger â læsione ab alteratione quâdam in sistemate portarum ortus, in eodem inhibito aut impedito sanguinis circuitu, unà simul, in ventriculo subindè constituto centro, fodinà ve actionis majoris, quâ ad ventriculum, singulari directione affluunt liquida.

Innumeras in hunc affectum observationes colligendo, perspicitur, hemorrhoidum catamenioram ve suppressionem, vitii cujusdam, ut arthritidis, herpetis, scabici repercussionem, validos animi motùs, læsionem ipsam hepatis, aut lienis â mole majori, induxisse solitò vomitus sanguinis quandoque cum bile perminti.

In omnibus nempè causis, et conditionibus habità ratione; patet, vitium quodcumque (de quibus jam mentio) nunc aliàs ad sistema gastricum delatum, sanguine etiam quandoque ad sistema portarum repulso, ibi perdurante affectu congeri stagnari, donec ad lienis spongiosæ cellas, ejusdem que apparatum venosum extendatur coacervatio, sanguinis que reflexus; lien idcircò molem consequitur majorem.

Ab impedito sanguinis circuitu, etiam que à liene auctà, subsequitur pressió in ramis arteri æsplenicæ, undè reflexus in alias cliacæ ramices, in gastricà superiori et sinistrà, etiamque in hepaticà. Sic que impedito sanguinis circuitu in sistemate portarum, rupto que æquilibrio inter circulationem venosam, et arteriosam, cogitur sanguis in ventriculo effundi.

Morbo seu aliàs lentè seu aliàs acutè progrediente.

Ab iisdem causis, in iisdem que conditionibus vasa brevia, coronaria superior et inferior, piloricæ, sanguine suprà modum turgidæ fuere.

Liquet idcirco, fieri sanguinis reflexum ad vasa usquè ventriculi, quó constituitur eò tuuc fodina centrum ve actionis majoris, quæ singulari directione liquida attrahit

Fusci vomitus, ingrescentes, in quibusdam epidemicè grassantibus morhis, sensilitate ventriculi permagnà stipatis, (ut solet in morbo flavo americ. aut siam) numne exhibent sanguinem, qui directione singulari magnâ quandoquè copià, et impetu appellitnr ad ventriculum, sensibilitas, irritabilitas ve cujus eò tunc angescit, fit que centrum actionis majoris.

Videtur quin imò per experimenta, quæ in hisce morbis mihi colligere contigit, atrum sanguinem è ventriculi vasis, in ejusdèm cavo effusum fuisse vario colore imbutum a bile, per vomendi conatum, per contractionem diaphragmatis, musculornm que abdominalium è suis colátoriis, è duodeno, ad ventriculum impulsa sic que, quod atram bilem subindè vocant, per experimentum exhibet atrum sanguinem vário colore imbatum, unà cum bile rejectum.

Ut cunque fiant, semper attamen constat sanguinis eruptionem, vomitum ve sanguineum, ab arteriæ gastricæ ramis oriri.

Sic fœmina quinquagesinum quartum vitæ annum ducens, altis confecta mæroribus, febrem putridam consequitur. Statim â febris ingressu, vomitu cruento repetito, gravata succubuit.

Secto ejus cadavere, sanguinem effusum vidi in cavo ventricnli, vidi venam portarum, splenicam, mesentericam, valdè admodum sanguine turgidas; idem observavi in viro, longùm post suppressas hemorrhoides. Per ulteriores dèinde investigationes, vidi arteriam gastricam ex cœliacà suprà modum turgidam. Per illam nempè effusum fuisse videbatur sanguis;

qui redeundi causa impos per venas, identidem sanguine turgentes, quasi diverticulo devians, in ventriculi cavum effusum fuit.

Aæ sunt conditiones, varia que phœnomena, quæ constituunt melenam, quæ habetur meritò simptoma alterius affectus prægressi; sic tn febribus putrido-melignis; melena, vomitus ve cruenti, iniminentis mortis præsagium. sic vomitus iidem fiunt etiam simptoma hipochondriasis provectæ, quæ aliàs melenam, aut siquitur, aut comitatur. Quid! tandem! hocce vomitu orto, alia hipochondriasis simptomata mitigantur, et quandoque evanescunt.

Affectus jecoris â mole majori.

Ut mente complectantur, quo ve modo fiat moles jecoris major, attendendm causis et conditionibus, quibus hæc editur solitò; ul itidem investigandum sedem centrum ve irritationis, gradum naturam que ejusdem.

Habito dèinde respectu variis corporum conditionibus, perscrutandnm, an irritatio per sistema gastricum generatim diffusa, a succo gastrico nimis actuoso non sollicitetur, undè lipuidorum uberosior affluxus, et dèinde moles jecoris major.

Ut itidem indagandum an irritationis fodina centrum ve pervarios texturæ locos, in organo non sedeat, ex quâ irritatione subsequitur liquidorum tum sanguineorum, tum limphaticorum affluxus ad hepar.

AFFECTUS JECORIS A SISTEMATE ARTERIOSO.

QUod attinet ad molem jecoris majorem inductam ab irritatione, per sistema gastricum generatim diffusa, spectandum ad hæcce, quæ in quibusdam tractibus, observatione patent per anserum, anatum que sagitationem, jecur quorum molem permagnam consequitur.

â sistemate arterioso affectus irritatione quâdam organicâ per sistema gastricum generatim diffusâ.

In medio miti, valdè que admodum temperato includuntur anseri, indesinenter eis præbentur cibaria, vi que etiam ingurgitantur. Decem, quindecim ve diebus elapsis, hæcce, animantia valdè admodum opima fiunt, jecur quorum etiam, quatuor sex ve libras pendet.

Quamnam ve mutationem subit eò tunc horumce æconomià!

1.° Nulla exercitatio, minuitur idcircò circulationis ictus; 2.° sistematis gastrici actione auctà, ad interiora organa, advocantur uberasiora liquida, adomentum, mesenterium, et jecur præprimis.

3.° Habitâ deinde ratione in ingurgitatione vi coactâ, ac indesinenter repetitâ quâ ferè suffocantur anseri, percipietur quos dehinc valde admodum auxios fieri, in explendà respirationis functione, ob majorem ventriculi infarctum, qui pulmones nimiúm premendo, eorum capacitatem minuit, eorum que functionem impedit; conditio, quæ (ut diximus) magnopère valet, ad majorem sollicitandam jecoris molem, eò quod pars nimia aèris inspirationi quæquæ, pulmones subit, eò quod horumce actio, minuitur, intervertitur ve eò quod, tandem, aër quo utuntur valdè admodum

fusus, ac extenuatus, proportione quâdam oxigenei spoliatur, multùm que contrà hidrogenei habet.

Sic que sanguis ad brouchiarum vesiculas usquè progrediens, mimiam aëris vitalis partem recipit, itque circulando munitus elementis, indole ve aptà ad secernendam majorem pinguidinis copiam, in organis præprimis, ubi constituitur fodina actionis majoris, ubi etiam circulationis, sensibilitatis que modus, hanc secretionem pinguidinis uberosiorem sollicitare videtur; conditiones, quæ omnes adstant in hisce.

Nunc omnia nostra exposita decudendo, faciliùs intelligetur cur ad majorem hepatis molem consequendam, sint obnoxii, qui in vità contemplativâ versantur, sedentarii, solitarii. Omnes tandem qui corporis situ curvo, ob respirationis oblivium, remissionem, item que ob jam recensitas causas hunc affectum præprimis experiuntur.

INFLAMMATIO HEPATIS CHRONICA.

Inflammatio jecoris chronica variique ejus eventus.

QUam optimè exposita inflammatio jecoris acuta (vid. stoll. aph.) mentio tantùm agenda de eâ inflammatione chronicà, quæ quandoque â vitio hereditario, â causis tum internis tum externis oritur, fovetur ve. si consideretur, textura occulta, sensibilitas que jecoris silens, in eodem arteriosa circulatio, quæ fit ope exiguæ arteriæ, pro tantâ organi mole; facilè intelligetur, quantà facicilitate, quantâ ve aptitudine (nullo modo obsistente tramite jecoris motn vix sensili munità) utatur, ad obstructionem, infarctum ve inflammatorium suscipiendum.

Inservit arteria hepatica nutritio jecoris; irritatio quæcumque per varios texturæ locos organi, majorem sanguinis copiam attrahit per innumeros arteriæ hepaticæ ramos, variis in modis distributos, et in se ipsis mirificè replicatos.

Fient liquidorum congestiones circà fodinam irritationis, inflammationis que increscentis. Sensim augescit organi moles; densitatem, crassitiem que dies in dies majorem consequitur hepatis substantia.

Causæ quæ vulgò hanc irritationem ducunt efficientes, tùm externæ tùm internæ referuntur ad ictus in hipochondrio dextro, ad lapsus, ictus que etiam in capite, ad vitium hereditarium, ad spasmos à valido animi motu inductos, ad morbos malè solutos, materie criticà ad hepar ablegatà.

Quæ vulgò causæ hanc inflammationem, inducunt aut fovent efficientes aut prædisponentes.

Otiosi qui infixà mente, litteris, arduis imaginationis, reflexionis ve laboribus versantur, ii tandem qui labore quocumque incumbunt incurvi, ut sutores, sartores, prædispositionem consequntur ad eò faciliùs hunc affectum subeundum.

Statim atque enascitur illa jecoris conditio inflammatoria, fiunt liquidorum affluxus circà irritationis fodinam, fiunt sensim obstructiones, infarctus, skirri prò motu inflammationis, prò irritationis gradu, prò temperie.

Intereadum intervertitur sensibilitatis, et circulationis ordo, læsâ que jecoris texturâ, varia elucent simptomata, prò exitu inflammationis, in suppurationem, indurationem ve abeuntis solitò.

Si per indurationem; organo nunc aliàs partim, nunc aliàs per totam substantiam vitiato læso, molem permagnam consequitur ab irritatione continuâ, quâ indesinenter attrahuntur, (ob tramitem jecoris nullo modo obsistentem) liquida tùm sanguinea tùm lim-

phatica, motu que inflammationis densitatem, crassitiem dies in dles increscentem, squirrosam que etiam conditionem subit tandem pars organi jam vitiata.

Increscente inflammatione, sensim destruitur jecoris textura, exeso que ejusdem parenchimate, fit quandoque congestio, coacervatio aliàs limphatica, puriformis, sanguinea; Interdum æger quandoque de aliis vitæ muneribus fungitur.

Contrà vero inflammationis eventu, liquidorum que pravà conditione subsequitur suppuratio, fiunt exulcerationes variæ, quæ gradu quodam inflammationis semper stipantur. Varia que intereadum elucent simptomata, prò morbi gradu et vehementiâ.

Inchoante morbo fit sensus doloris vix apparens, obtusus, subindè ad scapulum usque protensus, vix auctus calor.

Angente irritatione, inflammat partis angescit quoque moles. Sic que sensim increscendo multos per dies longiùs progreditur affectus, usquè tandem organi functio, ob molem consecutam, ob ordinis inversionem in pejus deflectatur. Eò tunc affectum suspicari licet.

Constiiuuntur postremò variæ suppurationis fodinæ. Fiunt in substantiâ ipsâ hepatis, sinus, collectiones ve puriformes in aptis membranis captæ, quod kistos vocant, efformantes.

Supervenit febris suppuratoria, quam comitant horrores irregulares convenientes numero et latitudini harumce exulcerationum.

Si que pus (seu nuuc aliàs tendat ad partem jecoris gibbam, seu nunc aliàs, kisto rupto, per canales bilis excretioni inservientes deferatur ad duodenum, undè fluxus hepaticus) sibi fingat exitum quo evacuari possit, febris hectica non fit.

Si verò non eliminetur, longam que contrà sedem fingat in ulcusculis, dies in dies acrescit materies suppuratoria, quæ rosiones majores exercet circà fodinam, major de hinc irritatio inflammatio que. Deindè â limphaticis per resorptionem, aut per venas sus-hepaticas in sanguinis massam tendente pure, oritur febris hectica, marasmodes consumptio.

Dignoscitur â causis prægressis, â conditione presenti per assiduum dolorem, quasi gravantem in hipochondrio dextro ad scapulum quandoque usquè protensnm, cum aridà et inani tussi, regulari aut erraticâ fehriculâ præcipuè post pastum ingravescente, icterico habitu, continuâ tamen ciborum omnium appetentiâ. Tabes sensim augescit, conjunctum frequens animi deliquium.

Si tamen febris continua non sit, lentior que extet rodentis ichori malitia, vires ità interdùm constantes videntur, ut æger cousuetis muniis vacare possit. Post longum morbi progressum, erratica, tandem que hectica evadit. Tunc dejectiones alvi, si non purulentæ, saltem crudæ et liquidæ deprehenduntur.

Increscunt omnia jam exposita; per totam ferè jecoris substantiam fiunt rosiones, consumitur æger, nauzea, vomitus frequentes; in mediâ anxietate inexplicabili, diù luctans moritur.

Prò morbi progressu, causâ, prò temperie, conditione que ægri præsenti instituenda curatio. Statim atquè morbum suspicari licet, diluentia, refrigerantia, purgantia, quæ leni stimulo materiem ad intestina attrahant. 2.° cataplas matibus anodinis, emollientibus resolventibus utendum adextus. 3.° Hirudines quandoquè ad anum, balnea, tandem que si morbus non nimium progressus fuerit, vesicantia ad hipochondrium dextrum, ut irritatione contrariâ, ad extus attrahantur liquida.

Generalia quædam de sistemate limphatico

SIstema jecoris limphaticum, variata valdè admodum vitia consequitur. Prò ætate, prò causis, prò variisque æconomiæ conditionibus observantur solitò depravationes ejusdem peculiares.

Ab infantiâ rèipsà ad senectutem usquè in eodem notantur vitia quædam, quæ densitatem variam exhibent, quæ etiam in degenerescentiam quandoquè putridam abeunt.

Præ aliis ab æconomiâ læsâ pervertitur, itemque subit influxum vitii cujuscumque hereditarii, ut rachitichi, venerei cachexiæ variæ, quæ communè post se trahunt infarctum glandularum â sistemate limphatico abdominali.

Ad pubertatem progrediente infantiâ, ob genitalium organorum inertiam, undè apud puellas catameniorum defectus aut vitium, subsequitur quandoque chloroses fiunt infarctus limphatici per hepar, conditiones quæ nuntiant totius æconomiæ læsionem, effectus cujus ad sistema jecoris limphaticum reflectuntur.

Perscrutando deinde, quæ causæ, aut conditiones, per reliqum vitæ decursum, ejusdem sistematis læsionem inducunt, aut fovent, patet : per morbos longos et chronicos post se trahentes virium defectum, æconomiæ exhaustum, per hidropem ascitem, in cachexiâ ictericâ, â repercussione vitii cujuscumque cuticularis, â febribus biliosis malè solutis, ab inflammatione organi chronicâ, enasci ejusdem sistematis limphatici, vitium.

Validi animi motus magno etiam utuntur influxu ad inducendum fovendum vè vitium â sistemate jecoris limphatico, dum quamplurimis observationibus constat, per icterum nigrum, hipochondriasis et melancholiæ prolem, quod quandoque oriri.

Exactè determinari nèfâs quamnam ex omnibus hisce causis aut conditionibus, hujusce sistematis potiùs vitium nunc aliàs skerrosum, aliàs vero steatomatosum atheromatosum ve inducere.

Apparet attamen, à vitio recensito nequaquam perverti varias æconomiæ functiones, tamdiù ad ductus usque secretorios excretorios ve bilis non extenditur infarctus skirrus ve (seu situ, aut ejusdem mole majori non intervertatur, aut impediatur secretio aut biliferi liquidi cursus.

Quæ depravationes solitò insanabiles, prò motu infarctus, skirri, liquidorum que pravâ conditione in degenerescentiam pessimæ indolis, amurcam, aliquid ve putridum, odoris penetrantissimi et quasi acidi, referentem, quandoque abeunt.

Alias increscens infarctus, tantùm subindè molem consequitur eundo, ut aliæ æconomiæ functiones, digestio que imprimis lædantur; fit itidem respiratio anxia. intereadum fodinæ variæ quemdam irritationis gradum consequntur, subsequitur prava inflammatió, quæ abit in ulcus, prò amplitudine variâ, prò naturâ erodente, nunc eò plus nunc eò minus lethale. ortâ febre lentâ, fit dhiarea, consumptio, tabes et mors.

Notatur affectus ad quemdam tantùm morbi progressum, habito respectù causis prægressis, ægri que conditioni præsenti. Sensus anxietatis, atque doloris ad hipochondrium dextrum, secretionis excretionis ve vitium aut defectus â bile, digestio læsa, cachexia quandoque ictèrica, oris color pallens, dissoluta facies, oculi concavi, sunt phœnomena varia quibus detegitur altum jecoris ulcus pessimæ indolis putridi, imminentis mortis principium.

Morbus singularis â Sistemate limphatica.

GEneratim expositis â sistemate limphatico, vitiis quibusdam; nunc agenda meniio de affectu ejusdem singulari, â causis extraneis, ab ictu in hipochondrium dextrum, iuducto.

Hic morbus solitò afficit constitutionem debilem, laxam, illos tandem, qui cibario tenui ac misero, huic affectui eò faciliùs consequendo prædisponi videntur.

Hic morbus sæpè sæpiùs absque febre incedit. Per duos, tres, quatuor ve annos stat. Ab ictu constituitur centrum, medium ve infarctus limphatici, quod sensim increscit, tantam que, labente tempore, consequitur molem, ut respiratîo digestioque imprimis lædantur.

Ægri febre immunes, pallidi chlorotisci, œdemate generali afficiuntur absque doloris sensu ad hepar. Efficitur in organo kistos sinus ve, materiem variam densitate et colore, continens. Hinc steatomatis, atheromatis formatio. Intereadum fiunt subindè hidatides, quæ agglomerali videntur instar racemorum â telâ cellulosâ in hepate, aut à vasis ejusdem limphaticis, evolutis.

Materies que, purulenta, flavescens, fusca, sub nigra, densitatis variæ, speciem pultis exhibet.

Increscente morbo, omninò ferè destruitur structura, substantia que jecoris; magis ac magis vitiantur œconomiæ liquida ob primarium bilis defectum aut vitium; subsequitur cachexia; labente tempore fit hydrops generalis anasarca, tandem que mors.

REFLECTIONES DE MORBIS JAM EXPOSITIS.

PEr historiam variorum â sistemate portarum et jecoris morborum; enixus sum, recensitis phænomenis cuique affectui propriis, quos separatim ordinare, uno ab altero sejuncto. Sed quandoque observationi non conveniunt descriptiones; irridet nempè natura scripta, ordines ve varios editos tantùm, ut mens faciliùs affectum prævalentem percipiat.

Recensiti morbi complicationem idcircò variam quandoque etiam adeo inextricabilem dispositionem exhibent, ut mens vix descriptionibus credat. Sic que, nunc aliàs affectus plurimi unàsimùl prodeunt, stipati simptomatibus cuique propriis; aliàs verò, primarium vitium prodeuns, causis conditionibus que aptis in alium affectum abit, aut etiam cum altero complicatur.

Sic per inflammationem jecoris chronicam, apparent solitò vitia qædam à sistemate limphatico; utraque simul progredientia unum et eundem affectum exhibent.